

A quàm de majori ecclesia congregationes pede nudo, exemplo Ninivitarum armati humilitate, et adjunctis sibi poenitentiae copiis, ut congregarentur cum pio et misericorde Deo: congregarentur, inquam, et vincerent.... Dato igitur signo à sacerdote, ut precibus (* *jam hora est, inquit*) gladio vastanti occurrerent et concurrerent; tum verò dimittunt habenas lacrymis, et clypeo protento fidei, forti ardore insistunt, et clamor eorum ascendit ad cœlum, et ecce adest in auxilium imperiosa Regina et Domina Angelorum, trahens secum fortia agmina cœlestium spirituum..... Quod ne cui mirum videatur; præcursor ejus adventus tam magnus tremor ecclesiam implevit, ut terræ motum esse factum, aut ecclesiam à fundamentis concussam arbitantes omnes fugerent, et anticipasse ostia et exitus tardum singulis videretur. Reverentiam enim tantæ potentiae elementa et mentes hominum sentire debebant, et à facie divinæ virtutis mortalia corda percelli. Ubi verò nihil adesse periculi senserunt, reversi in se, omnem ardorem languentium extinctum, et omnem dolorem consopitum celerrimâ suavitate (a) collatâ inveniunt. Quorum ergo gemitus dolentium intolerabiles modò erant, præ subita liberatione nunc emittunt infinitas voces lætitiæ ad cœlum, et cunctis ibi exultantibus populis laudes et lacrymæ et gratiarum actiones per reliquum diei non videbantur posse finiri.....

* *ib. quia.*

Anno igitur ab incarnat. Domini M C X X I, die Lucæ evangelistæ, non dedignatus est Deus iterum glorificare nomen suum etiam inusitato miraculo. Papa Innocentius ab æmulo suo Româ pulsus, ab ecclesiis cisalpinis et Regibus et Principibus terræ honorificè susceptus, monasterium S. Medardi Suessionensis, quod est trans fluvium situm, recens (b) dedicaverat: ad quam solemnitatem tanti populi frequentia convenerat, quòd facillè edici non potest, tam gratiâ dedicationis, quàm ut vota et preces B. Virginis Dei genitricis Mariæ in ecclesia ejus persolverent.....

Num. 23.

C (a) *Suavitate*, sic ms. cum ed.; legendum tamen videtur, *sanitate*. Illum curationis modum non minus testatum faciunt, præter chronographorum turbam, scriptores fide digni, Anselmus Gemblac. Sigelerti continuator ad annum 1129; Gofridus Vosiensis ad an. 1094; Gauthierus monachus Cluniac. apud Labbeum, t. I Biblioth. Mss., pag. 650, qui ingenue fatetur se nequaquam oculis propriis hæc aspexisse, sed ab uno venerabili

Goffrido Carnotensi episcopo et A. S. legato, in conventu nobilium personarum referente, cognovisse: sed etiam Lambertus Atrabatensis episcopus, referente Miræo in notis ad Anselmum Gemblac. ubi cercorum jugiter absque sui diminutione ardentium, qui in Belgio religiose asservantur, originem investigavit.

(b) *Idibus octobris*, prout legitur in chronico S. Medardi, tomo nostro XII, p. 278.

EX LIBRO MIRACULORUM B. GENOVEFÆ VIRGINIS,

Auctore anonymo æquali, ad S. Genovefam religioso.

D Inter Acta Sanctorum Bollandi, ad diem 3 januarii, p. 151.

REGNANTE Ludovico fortissimo Francorum Rege, Philippi Regis filio, tempore quo quam virtutis et pietatis injuriam bellicus furor acceperat, perdidit, et, justitiâ resurgente, quievit terra; sed, succedentibus prosperis, oblita [est] dies antiquos, quos misericordiæ operibus redimere debuit tempore pacis. Cum ergo dies malos in amaritudine non recogitaret, nec æternorum memoriam haberet in mente, facta est sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Itaque nequam spiritus videns eam vacantem, quam sedatam bellorum rabie reliquerat, assumpsit septem alios spiritus nequiores se, et veniens habitavit ibi, et facta sunt novissima terræ illius pejora prioribus. Supervenientibus novis criminibus, vetera non projecit; sed, secundum prophetam, sanguis sanguinem tetigit. Festinante igitur Francorum populo per degenerem peccatorum conditionem ad portas inferi, . . . flagellavit, sicut prædiximus, Dominus regnum Francorum, et membra quæ miseri homines exhibuerant servire injustitiæ et iniquitati ad iniquitatem, cœpit morbus igneus consumere, quem physici sacrum ignem appellant, eâ nominum institutione quâ nomen unius contrarii alterius significationem sortitur.... Occurrunt morbo medici, artes et ingenia excitant, experimenta probant; sed hæc omnia reprobantur, quia digitus Dei erat, et non est consilium contra Dominum.... Aggravatâ ergo manu Domini super eos, deportaverunt infirmos suos, nec tantum de proximo, verum et de remotis partibus, ad ecclesiam beatissimæ Dei genitricis Mariæ in Parisiaca urbe sitam: qui ita obturaverunt ecclesiam, ut arctam in ea relinquerent semitam,

Num. 38.
Savienteignis
sacri lue.

G g ij